





beginning of May - some birds  
still singing in the trees

nowhere

still singing in the trees

beginning of June still

Aug. 1908, 1910, 1910

beginning of Aug. - birds still singing

in the trees

beginning of Sept. - birds still singing

beginning of Oct. - birds still singing

beginning of Nov. - birds still singing

beginning of Dec. - birds still singing

beginning of Jan. - birds still singing

beginning of Feb. - birds still singing

beginning of Mar. - birds still singing



1724.

1. Ingelbrecht, Dr. Wiss.: *Programma Sectionis curiosae*  
ad I. u. II. C. de contract. em. vendit. Georg Lass. Lehmann  
praemissum.

2<sup>o</sup> et Ingelbrecht, Dr. Wiss.: *De eo, quod memorabile ac per-*  
*sum est circa agnos balgo dom. Lammus - Probat.*  
3 tract. 1728, 1727 et 1745

3. Ingelbrecht, Dr. Wiss.: *De cruxione antichristico ad*  
*fructus percipientes non obligato.*

4. Goebel, Dr. Wilhelm: *De cambialis notiorum*.

5. Leyserus, Augustinus: *De bonis aduentibus filiorum-*  
*familias.*

6. Leyserus, Augustinus: *De morte vim iurius iurandi*  
*habente.*

7. Leyserus, Augustinus: *De iure cambiali.*

8<sup>o</sup>; 9<sup>o</sup>; Leyser, Polycarpus: *De limitibus qui iure conatus*  
*a theologis ponuntur.*

1729.

J. Spies, Ioh. Carolus: De tympanitis Theoria ac  
Therapia.

10. Spies, Iohannes Carolus: De doloribus ventriculi -





*2,80.*

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> ACADEMICA

1724,4

44

DE

# CAVTELIS NOTARIORVM

QVAM

PRAESIDE

JO. WILHELMO GÖBEL

J. V. D. EJVSDEMQVE IN ACADEMIA  
REGIO DVCALI JVLIA P. P. O.

FAVTORE

AC PRAECEPTORE SVO

AETERNV M COLEND O

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

AD D. XVII. JVN. MDCCXXIV.

EXPONET

AVCTOR

LVDOVICVS JVLIVS VRBANVS


Brandenfeldt / Wolffsenb.

---

Helmstädl,

Typis PAVL<sup>I</sup> DIETERICI SCHNORRII,

ACAD. TYPOGR.



PERILLVSTRI  
ILLVSTRIBVS ATQVE  
EXCELLENTISSIMIS

VIRIS

SERENISSIMI BRVNSVICENSIVM  
ET LVNEBURGENSIVM

DVCIS

AVGVSTI WILHELMII  
CANCELLARIAE

PRAESIDI  
CAETERISQUE  
CONSILIARIIS

DOMINIS MEIS PATRONIS.  
QVE SVMMIS

PERILLVSTRIS ILLVSTRES  
ATQVE EXCELLEN-  
TISSIMI

DOMINI AC PATRONI SVMMI



Ihil unquam bonis literis  
acceptius optatusque  
potest contingere, quam,  
ubi illis de summorum  
Virorum Gratia & fa-  
vore sibi gratulari licet. Omnem ea-  
propter

14

propter seduli studiorum cultores mo-  
vent lapidem, ut bac felicitate been-  
tur, eamque adepti, manus **MOE-**  
**CENATVM** benignissimas submis-  
sissime exosculantur. Eandem & mibi  
felicitatis partem obtigisse admodum  
gaudeo, devinctissimumque **VOBIS**  
bac de re animum ostensurus, qualem  
cunque academici conatus fœtum in  
æternæ gratitudinis tesseram **VO-**  
**BIS** dedicare humillime ausus sum.  
Excipiatis igitur quæso qualecunque  
hoc industriæ Specimen, **VE STRA**  
quidem **MAGNIFICENTIA** haud  
satis dignum, mibi autem, quod nunc  
possim dare, maximum. Operam inte-  
rēa impendam singularem, ut **VE-**  
**STRAM** in me benignantatem obse-  
quio, pietate & observantia me demere.

):( 3                      ri

ri, innotescat. *DEVS* vero ter optimus  
terque maximus *VENERANDA  
VESTRA CAPITA* prosperita-  
te constantissima exornet, *VESTROS*-  
que praeclarissimos conatus in certissi-  
mum Patriæ dirigat emolumentum.

**PER ILLVSTRIS ILLVSTRIVM ATQVE  
EXCELLENTISSIMORVM  
VESTRORVM NOMINVM**

CULTOR DEVOTISSIMVS  
L. J. V. Franckenfeldt.

## CONSPECTVS §§.

*Proem. connexione hujus Dissert. cum priore*

*§. I. Quid in cantolarum Scriptoribus de- fideretur.*

*II. Quomodo Notarius officium suum ad- versus Magistrorum praefare possit.*

*III. Per quos insinuationes fieri possint.*

*IV. An Notario super iis, qua ad officium ejus attinent, sive testibus creditur.*

*V. Quid Notario obseruandum, si super protestatione, quodres futurae eo ani- mo sit emta, ut vero domino restituatur, instrumentum confidere debeat.*

*VI. Praefat, ut rogatu expresso constare.*

*VII. Quid Notario alterius vice sub- scribens sit obseruandum.*

*VIII. Conducit & in Instrumentis testes esse rogatos.*

*IX. Ut singula Instrumenta in hic ab- breviatura consignentur.*

*X. Turba est, ne abbreviatura destrua- tur, licet Instrumentum in protocollo extensem sit relatum.*

*XI. Causis, ut uterque Notarius roga- tus subscriptar.*

*XII. Vnde ipse Notarius tam Instrumentum, quam protocollo propria manu scribit.*

*XIII. Minus turum est, Instrumentum dictandum aliis committere.*

*XIV. Quid notario facienda, si analpha- betis in subscriptendo voces gerere vult.*

*XV. Quid facendum si mediante inter- prete instrumentum conscribendum sit.*

*XVI. Abstineat Notarius in propria can- sa instrumentum confidere.*

*XVII. Pergamentum adhibendum, ubi No- tariorum Ordinatio illud postular.*

*XVIII. Vnde interdum est, non aque ne- cessaria instrumentis adjicere.*

*XIX. Ut nomen divinum in instrumentis*

*pramittatur, non solum utile, sed & necessarium,*

*§. XX. Curer Notarius sibi ad adjiciendas clausulas mandatum dari.*

*XXI. Omnia qua circa causa cognitio- nem occurunt, enarranda.*

*XXII. Consultum, ut certiorationes & Notaris fiant.*

*XXIII. Notarius ipse beneficiorum, de quibus alios informat, sit peritus.*

*XXIV. An certioratione oportet pro ma- rito intercedens, jurato beneficio & Cis Vellej, renunciaverit.*

*XXV. Nota, Zifra & abbreviationes in Instrumentis non sunt adhibenda.*

*XXVI. An cubiculi, in quo actus celebra- tur, mentio injicienda.*

*XXVII. Quid faciendum, si Instrumentum nocturno tempore confidetur.*

*XXVIII. Vacuis foliis inter medius in- scribendum vocat.*

*XXIX. Nec arramentum, nec ductus ca- lami mutandi.*

*XXX. Conducit, ut Instrumentum tam a partibus quam testibus subscriptantur.*

*XXXI. Signatur Notarius submittatur.*

*XXXII. Rasure in subscriptione mentio fiat.*

*XXXIII. Apostilla & interlineares scri- pura sunt omittenda.*

*XXXIV. Testes in actu testandi adheren- tis sunt, ut bene attendant.*

*XXXV. Clausula codicillaris expressis verbis est inserenda.*

*XXXVI. In testamento rusticis, in quo quinque tantum testes sunt adhibiti, Notarius de diligentia sua in plurimis conquendis moneat.*

*XXXVII. Post subscriptionem testamenti utile est, ut testes manum suam reco- gnoscant.*

PRO-



## PROOEMIVM.

L. B. S. E. O.

**A**D hodiernum judicialis fori statum Notarios publicos requiri, in priori mea dissertatione, sub finem superioris anni publice defensa, abunde expositum est, ubi de Notariorum nomine, Historia, natura, officiis atque usibus prolixè commentatus sum. Plura quidem ejus materiæ restabant momenta, quæ hinc inde potuissent addi, si Dissertationis loco animus fuisset volumen integrum exhibere. Interim unicum est, quod ex datis in priori dissertatione promissis operæ pretium existimavi, ut hasce sibi plágulas vindicaret; Nempe circa officium Notarii magna saepius cautione opus est, ne aut committatur aut omittatur aliquid, quod fidei Tabellionis detrahere quicquam videri poscit. Iстos enim nihil æstimandos duco, qui de conservanda sua fide minus existunt solliciti. Ut igitur de iis, quæ Notario in actionibus suis curanda & observanda sunt, constet, præsentem Dissertationem priori subjungere & in hac de Notariorum cautelis age-re placuit. Qualemcumque vero laborem meum, pro ingenii mei modulo temporisque statu suscep-tum, lector æquus & benevolus in meliorem partem interpretabitur.

§. I.



44

§. I.



Ulti sunt, qui de caute-  
lis aliquid literis man-  
darunt ; horum qui-  
dam in LIPENII  
BIBLIOTHECA reali  
juridica recensentur :

*Quid in  
cautela-  
rum Scri-  
ptoribus  
defdere-  
tur.*

Ast pauci sunt, qui negotium, ut ob-  
je<sup>c</sup>tum requirit, pertractarunt. Mul-  
ta enim admiscentur, quæ ad cautio-  
num materiam non æque spectant, &  
quæ monenda fuissent, omittuntur,  
a quo imbecillitatis humanæ indicio  
nec STR YK IVS ubique temperavit.  
Nos in utilibus quibusdam Notario-

A rum

2 DE CAVTELIS NOTARIORVM.

rum cautelis contexendis versabimur.  
Non solum enim id querendum est,  
quid de quoque consultatione respon-  
deamus, sed & quemadmodum cavea-  
mus in jure.

§. II.

Quomodo  
Notarius  
officium  
suum ad  
versus  
Magistra-  
rum pre-  
stare possit  
Notarius officium suum etiam ad-  
versus Magistratum requirenti præ-  
stare debet. Ita MEVIVS [a]. Caute-  
tamen hic procedat, & verba, quæ in  
Instrumento adhibet, in factum tem-  
peret; caput morbidum enim non de-  
sinit esse caput.

§. III.

Per quos  
insinuatio  
nes fieri  
possint.  
Quanquam MEVIVS [b] æquitati  
convenientius putet, alium quoque,  
quam iñmatriculatum, insinuationem  
facere posse; cautius tamen agit, qui  
se in illo judicio, in quo actus insinu-  
ationis

(a) Part. II. Decis. 5. (b) Part. II. Decis. 48.

ationis perficere vult, matriculæ inscribi curet. Ut sileam incommoda & difficultates, quibus sæpe Notarii in numerum non relati, insinuationes audentes, afficiuntur ; facile aëtus insinuationis pro invalidis haberi possent, sub prætextu ; quod Germaniæ judicia, in quantum fieri potest, morum in Camera receptum observent. In Camera autem insinuationes non nisi per immatriculatos Notarios fieri queunt [c].

## §. IV.

Notario in iis, quæ ad officium ejus spectant, etiam absque testibus credi dicitur. Interim & hic testes adhibere conductit, quoniam tunc litates, an tales aëtus ad officium ejus spectent, cessabunt.

A 2

§. V.

(c) MYNSINGER Cent. I. Obs. 29.

## §. V.

*Quid Notario obseruantur, si super protestatione, quod res furtiva eo animo sit emta, ut vero dominio restituta, conficeretur.*

Sunt qui putant protestationem, sub qua quis emit rem furtivam, quod eam comparet nomine ejus, cuius est, seseque paratum esse, illam recepto pretio restituere, effectum aliquem habere, si de tali protestatione publicum conficiatur instrumentum. Consultum tamen est, ut Notarius diligenter inquirat, qua fidetatis res ad emitorem pervenerit. Cæterum quod ad rem ipsam attinet, talis protestatio, quam ut Cautelam CÆPOLLA enarrat (d) non videatur alterius jus, quod ex dominio fluit, remorari posse (e). Eam quoque decisio Perusina 42. improbat, multaque contra illam REBVFFVS (f)

pro-

(d) n. X. (e) GROTIUS de J. B. & P. Lib. 2.  
c. 10. §. 1. veritas rerum erroribus gestarum non  
vitiatur l. 6. §. 1. de Officio Presidis.

(f) De verbis. signif. fol. 134.

proponit. E contra utilem dicit BO-  
NA COSSA[g] & MOZZIVS(h) cum multis aliis ab eo citatis; quibus  
accedit MENOCHIVS(i). Viden-  
tur diversæ hæ Doctorum sententiæ  
hoc modo conciliari posse: Nimirum  
Cæpolla cum suis affeclis de illo casu  
est intelligendus, si protestatio me-  
morata cum quadam diligentia, in in-  
vestigando domino rei furto subdu-  
ctæ, conjuncta fuerit. JASON(k)  
aut quatenus dominus rei suæ pos-  
sessionem recipere sine aliquo im-  
pendio non potuerit (l). Contrari-  
um vero afferentes præsupponere  
censentur, ab emtore in perqui-  
rendo vero domino, nullam adhibi-

## A 3 tam

(g) In tract. de equo, q. 841.

(h) De contr. emt. & vend. c. que emi & vendi pos-  
sint n. 32. (i) Lib. 5. presumt. 29. n. 16.

(k) In l. omne §. fin. n. 2. it. de condic. ob turp. cauf.

(l) GROTIUS de J. B. &amp; P. l. 2. c. X. §. IX.

6 DE CAVTELIS NOTARIORVM.

tam fuisse diligentiam, nec rem recuperatu fuisse difficilem. BERNARD.  
GOMMAR. (m)

§. VI.

*Præstat  
de rogatu  
expresso  
constare.*

Licet negari non possit, Doctores in ea esse opinione, quod rogatus tacitus sufficiat, eumque factum esse præsumi, si de hoc Notarius testetur ALEXANDER (n) SOCINV S JVNIOR (o) & MANTICA (p) Præstat tamen expressi rogatus adesse documenta. Quantum enim fieri potest, cavendum, ne vexit ansa præbeatur.

§. VII.

*Quid No-  
tario alte-  
rius vice  
subscri-*

Notarius literarum imperiti vices in subscribendo habens, ut subscriptio ni præmittat, se in specie ad subscriben-

(m) *In repetit. l falsus n.38. C. de furtis.*

(n) *Consil. 153. n. II.*

(o) *Consil. 178. n. II.*

(p) *De conjecturis ult. volunt.*

bendum à contrahente fuisse roga-  
tum, proficuum est, ne quid fraudis  
suspicioni relinquatur.

### §. IIX.

Sic &, licet non necessum sit, ut Conducit  
testes rogentur, utilitatem aliquam & in In-  
habebit, si specialiter rogati sint strumen-  
Possunt enim sic majori certitudine tis testes  
de actu celebrato deponere. esse roga-  
tos.

### §. IX.

Ad removendam omnem fraudis Ut singu-  
suspicionem præstat, singula Instru-  
menta in imbreviatura, ut vocatur, la Instru-  
mента in  
sive protocollo esse notata, quod et- Imbre-  
iam non improbat BARTOLVS, viatura  
(q) sed illud esse necessarium negat. conſi-  
gnentur.

### §. X.

Sunt nonnulla loca, ubi Notario reli- Tutiū  
cta est, ne Ab-

(q) *Confil. 163.*

*breviatura destruatur, licet instrumentum in protocollo extensum sit relatum.* Ita est potestas Abbreviaturam, postquam Instrumentum in protocollo relatum est, corrumpere; verum, quamvis hoc liceat, e re tamen Notarii & partium est, ut Bastordellus, ceu ajunt, conservetur. Etenim contingere potest, ut de protocolli tenore dubium aliquod exoriatur, ubi protocollo primum, quod cæteratum dicunt, tanquam matrix norma esse debet.

*Cautius ut uterque Notarius rogatus subscribat.*

Dicunt, si duo Notarii fuerint rogati, & unus tantum subscriperit instrumentum valere. TESSAVRVS(r) verum cum dubium sit, an in solidum, an coniunctim sint rogati, tutius est, ut uterque subscribat, nisi alter morte abreptus subscribere non potuerit.

### §. XII.

(r) Decis. 154.

## §. XII.

Non desunt, qui adstruunt, Notarium de Instrumento conficiendo rogatum, alii committere posse, ut illud reassummat, dummodo ab ipso Notario rogato subscribatur & publicetur. Sed cum variæ & dubiæ hic sint doctorum opiniones, SCACCIAS (s); suaderem, ut tam protocollo, quam ipsum Instrumentum Notarii manu conscriberetur.

## §. XIII.

Caveant Tabelliones, ne instru-  
mentum dictandum aliis committant. Quod si enim hoc fecerint, non ab omni fraudis suspicione liberum est. Accidere enim potest, ut Notarius non omnia, ut pareat, verba deinceps contempletur, atque sic ea, quæ e-

B men-

(s) *De judiciis causarum civil. crim. heret. l. 2. c. II.  
n. 540.*

mendatione opus habent, corrigere  
nequeat.

### §. XIV.

*Quid No-*  
*tario fa-*  
*ciendum,*  
*si anal-*  
*phabeti in*  
*subscri-*  
*bendo vi-*  
*ces gerere*  
*vult.*

Si Notarius analphabeti vices sub-  
 ire velit, caveat ne discipulum aut sub-  
 stitutum mittat. Quanquam enim ex  
 Præfat. Novellæ 44. constare non vi-  
 deatur, necessum esse, ut hic munere  
 suo ipse fungatur: attamen tutius est,  
 ut hoc fiat, atque obinde Notarius  
 contrahentes adeat, ne analphabeto  
 a contractu discedere volenti obtin-  
 tui esse possit, dolose negotium per-  
 actum. Cæterum, ut ex mente A L-  
 CIA T I [t] duo adhibeantur Notarii,  
 superfluum puto [u]. Necessarium  
 autem, si summa auri libram excedat,  
 & in scriptis ab analphabetis in civi-  
 tate

(t) C. & 8.p.

(u) S T R Y C K de jure αναλφαβήτων c. 3. n. 25. 26.  
 & 31. ubi docet, quid circa Nov. 73. c. 8. & auth.  
 sed novo jure C. si cert. petatur, statuendum sit.

tate contrahatur, ut quinque adhibe-  
antur testes. (x)

## §. XV.

Si Notarius mediante interprete  
instrumentum conscribere vult, curet  
ab eo juramentum exigi, se verba lo-  
quentis, ut par est, interpretaturum.  
Hoc modo enim fraudis suspicio eva-  
nescet.

*Quid faciendum, si mediano te interprete instrumentum conscribendum sit.*

## §. XVI.

Nonnulli JCTI, Notarium in pro-  
pria causa Instrumentum confidere  
posse, asserunt; cum actus aliunde for-  
te per testes probari queat (y). Sed  
quoniam tunc non tam Notarii instru-  
mento, quam testium dispositioni cre-  
ditur, nec Doctorum negationes & li-  
mitationes deficiunt; satius est, In-  
strumentum confidiendum alii potius

*Abslineat Notarius in propria causa instrumentum confidere.*

B 2

con-

(x) Lex enim semper vivere presumitur. TABOR  
de altero tanto p. 2. art. 3. n. 6.

(y) DECIANVS resp. 13. n. 32. 33. vol. I.

concredere, quam instrumento in propria causa consignato litigiis materiam suggererere.

§. XVII.

*Pergame-  
num ad-  
hiben-  
dum, ubi  
Notario-  
rum Ordi-  
natio illud  
postulat.* Suadendum, ut Notarius, ubi Ordinatio Notariorum palimpsestum requirit, eum adhibeat. Difficilis namque saepe est probatio, moribus aliquid esse mutatum. Atque ubi charta uti potest, caveat, ne deletitiam i. e. in qua antea aliquid scriptum, sed postea erasum, in usus suos convertat. (z)

§. XIX.

*Utile in-  
terdum  
est, non  
aque ne-  
cessaria  
instru-  
mentis  
adficere.* Satius est, omnia Instrumentorum requisita addere, & actuum symbola, quæ non sunt negligenda, enarrare, licet quædam eorum ejusmodi sint naturæ, ut illorum omisso non præcise vitiet instrumentum, fidem tamen minuere queat. Jureconsultis nota

(z) STRYCK in *Caut. Contract. Sect. 2. c. 7. §. XVII.*

& legibus innitens formula, superflua non nocere. Hinc minus reēte Notarios vituperari arbitrantur, si clausulæ non æque necessariæ ab iis Instrumen-  
to sint insertæ. Illustrat hoc assertum cautela CÆPOLLÆ [a]: *Sunt, inquit, quipro defensione sui clientuli, nisi ea, quæ vera sunt, & videntur multum urgere, & jura adducunt solummodo, quæ videntur concludere de necessitate. Sed tu sis cautus, & non ita facies, si foves justitiam, casum primo deducas, rationes & jura causæ, tam quæ bene faciunt, si sunt persuasiva, & etiam aliqualem inducant præsumptionem.* Huic cautioni subscribit NATTA, sed eum damnat Sylva Nuptialis (b) Videntur tamen diver-  
ſæ horum sententiæ ad concordiam adduci posse. CÆPOLL A cum  
B 3 illis,

(a) *Consil. 420. n. 18.*(b) *Lib. 8. n. 26.*

illis, qui ejus partes sequuntur, de rationibus coloratis & ad verisimilitudinem aliquam excitandam aptis loquitur, quod docet GOT A (c) testaturque, ALEXANDRVM multoties hac usum esse cautela. Aliter autem se habet res, si rationes plane ineptas, cavillationes aut falsa referant (d).

### §. XIX.

*Ut nomen  
divinum  
instru-  
mentis  
præmit.  
tatur, non  
solum uti-  
le, sed &  
necessari-  
um.*

Olim utile & pium, hodie necesse est, ut Instrumentis nomen divinum præmittatur, non tam ob illam rationem, quod nomen divinum dignius sit nomine Imperatoris, sed quod Maximilianus hoc expresse requirat (e).

### §. XX.

*Curet No-  
tarius*

Cum non raro in dubium vocari soleat,

(c) Consil. 28. post. n. 32. & Consil. 96. n. 8.

(d) BALDV S in c. præterea n. pen. & ult. de testibus.

(e) In Constitut. de Notariis. §. und nachdem.

soleat, an clausulæ instrum. a Notario  
insertæ jussu partium adscriptæ sint ;  
Curet sibi ad illas adjiciendas manda-  
tum dari, quod nec prorsus inutile pu-  
to, licet in aliqua regione, tales adpo-  
nendi clausulas, consuetudo extet (f).

### §. XXI.

Utile est, si instrumento, in quo cau-  
sæ cognitio intercessisse dicitur, eo  
magis fides haberi debeat, ut omnia,  
quæ circa causæ cognitionem occur-  
rerunt, accurate enarrentur. Ea enim  
est hominum indoles, ut facilius rei,  
cujus omnes referuntur circumstan-  
tiæ aut saltim potiores, fidem adjun-  
gat, quam si absque eis enuncietur.

### §. XXII.

Legibus non adversatur, certiora-

*Consul-  
tiones tum, ut*

(f) MENOCHIVS lib. I. Consil. 37. n. 30. V A-  
LASCVS in praxi partit. c. 6. n. 45. ROLAN-  
DVS a VALLE l. 4. c. 34.

certiora-  
tiones  
a Notari-  
is fiant.

tiones ab aliis etiam , quam Notariis fieri. Consultum tamen, ut coram Notario & testibus renunciantes de beneficiis suis certiores reddantur, (g) cum illud majorem habeat fidem. Caveat tamen Notarius, ne in subscriptione, debito modo & subscriptionem & certiorationem factam esse, omittat. Rectius tamen consulit ei, in cuius favorem vel securitatem renunciatio fit, si renuntiantes latinæ expertes sint linguæ, ut ubique germanica adhibeantur verba.

### §. XXIII.

*Notarius ipse beneficiorum, de quibus alios certiorare vult, probe sit peritus. Nam nemo aliquem alios informat, sit peritus. certum reddere potest de eo, quod ipse ignorat.* (h)

### §. XXIV.

(g) MENOCHIVS de presumt. l. 2. pref. 79.

(h) CÆPOLL A c. 169. HIPPO in repet. rubr. ff. de fidejussoribus n. 64.

## §. XXIV.

Quamplurimi Jureconsultorum opinionem fovent, si mulier pro marito intercedens SCto Vellej. jurato renunciaverit, certioratione non esse opus: Verum quoniam nemo rei, quam ignorat, renunciare potest; nec jura-mentum talem producere valet notitiam; igitur tutius est, ut & tunc a Notario certioratio præmittatur, ne fæmina deinde prætexere possit, se illius, quod juravit, plane fuisse im-peritam. (i)

## §. XXV.

Consultius est, ut Notæ, Zifræ & Abbreviations omittantur. Enim vero quanquam intelligibiles Instrumentum non vitent; (k) illud tamen a quibusdam in dubium vocatur.

## C

## §. xxvi.

(i) GALLERAT de renunc. t.2. cent. I. renunc. 62.

STRYCK. caut. Contr. Sect. 2. c. 6. §. IV.

(k) EVERHARD de fide Instrumentorum.

## §. XXVI.

*An cubi-  
culi, in  
quo actus  
celebra-  
tus, men-  
tio injici-  
enda.* Tradit SVAREZIVS [l], non esse  
necessum, ut cubiculum domus, in  
quo actus est celebratus, exprimatur:  
ast si hoc factum est, instrumenti fi-  
dem omnino corroborat, cum ex eo  
constet, accurate omnia a Notario esse  
observata.

## §. XXVII.

*Quid fa-  
ciendum,  
si Instru-  
mentum  
nocturno  
tempore  
confe-  
ctum.* Si instrumentum nocturno tempo-  
re conficiatur, salutare est, ut causa, qua  
inducti sunt, nocte contrahere, adda-  
tur, ut eo magis fraudationis suspicio a-  
verti queat. (m) Non video, quomodo  
SCACCIÆ [n] subscribi possit affir-  
manti; Notarium nocte instrumen-  
tum confidentem sine falsi crimine  
scribere posse, illud diurno tempore  
confectum esse. §. XXVIII.

(l) In Thesauro recept. sentent. sub lit. J. n. 118.

(m) RIP A de nocturno tempore c. 113. n. 4.

(n) de Judiciis caus. civil. &amp;c. l. 2. c. 3.

## §. XXVIII.

Dimissis per incitantiam chartarum paginis intermediis sine scriptura; consultum est, ut ab una in aliam partem linea ducatur, ibique scribatur *vacat.*

*Vacuis  
foliis in-  
ter medi-  
is inscri-  
bendum  
vacat.*

*cat.* [o] Ne quis credere possit, esse, quæ paginis his adhuc inscribenda fuissent.

## §. XXVIII.

Cum ex diversitate atramenti & *Nec a-  
tramen-*  
ductuum calami Instrumenti fides su-*tum, nec*  
specta fieri possit; inde cavendum, ne *ductus*  
in aliquo mutatio fiat. (p) *calami*  
*mutandi.*

## §. XXX.

Notum est, plerosque Doctorum *Conducit,*  
testium subscriptionem ad Instrumentorum *ut Instru-  
mentum* valorem non requirere. Quo *tam a-*  
magis autem omnis fraudis & simulationis suspicio evitetur, & contrahentium *partibus,*  
& testium subscriptionem usui *quam te-*  
*subscri-*  
*batur.*

C 2

esse

(o) MENOCHIVS de arbitrar. judic. quæst. l. 2.

Cent. I. c. 64. n. 19.

(p) BORNITIVS de fide Instrument. p. 2. l. 2. c. 25.

esse posse, existimo. Sunt enim falsarii, qui ad testes provocant, qui tamen non sunt adhibiti. Tales merito officio privantur, & Instrumenta ab iis postmodum facta sunt invalida.

### §. XXXI.

*Signetum  
Notaria-  
tus sub-  
mittatur.* Quamvis sint, qui putent, Signeti Notariatus defectum instrumentum non vitiare (q): nihilominus satius est, si ad evitandas lites adhibeatur, ant ut clausula quædam salvatoria adjiciatur.

### §. XXXII.

*Rasura in  
subscri-  
ptione  
mentio  
fiat.* Non obliviscatur, si quid forte in Instrumento rasum, ut ejus in subscriptione mentionem injiciat. Rasura enim, cuius in subscriptione mentio facta, instrumentum non vitiare dicitur. (r)

### §. XXXIII.

(q) CARPZ. I. 3. tit. 8. resp. 85. n. 8.

(r) PETRVS DE FERARIIS in pract. tit. 15.  
gloss. 3. n. 3.

## §. XXXIII.

Tametsi Apostillæ, ut vocantur, tantum instrumenti falsitatem argue-re dicantur, si in loco suspe<sup>c</sup>to vel sub-stantiali instrumenti parte reperian-tur, ut &, si diversa ab ea, qua Instru-mentum scriptum est, manu addita-mentum sit exaratum: rectius tamen Instrumento a se confe<sup>c</sup>to prospicit, si tales Apostillæ & interlineares scri-pturæ, utpote suspicionem doli asse-rentes, plane absint.

## §. XXXIV.

Caute facit Notarius, si in actu te-standi testes adhortetur, ut probe at-tendant, quo de loquela articulata, si hæc in dubium vocetur, testimonium dare possint. (s) Quanquam enim te-stator articulate locutus præsumatur, id tamen dubium aliquando habere

c 3 pot-

(s) STRYCK. de caut. testam. c. IV. §. 36.

poteſt, ſcilicet ſi quis in agone conſtitutus teſtamentum faciat.

### §. XXXV.

*Clausula  
codicilla-  
ris ex-  
prefis  
verbis eft  
inſerenda.*

Tutius facit Notarius, qui clauſulam codicillarem expreſſis verbis ad-  
dit. Etenim licet favor ille ultimarum  
voluntatum, qui legibus statutus eſt,  
velle videatur, ut clauſula: *ſi hoc teſtamentum non poſteſt valere jure teſtamenti, valeat &c.* vim clauſulæ co-  
dicillaris habeat; attamen non de-  
ſunt dubia, quæ hic obmoveri poſ-  
ſunt, nimirum in re tanti momenti,  
ubi teſtamentum a defeſtu aliquo  
externo per clauſulam codicillarem  
convaleſcere, & codicilli naturam in-  
duere debet, expreſſa fanantis clauſulæ  
verba neceſſaria eſſe.

*In teſta-  
mento ru-*

### §. XXXVI.

Si in teſtamento ruri condito non  
niſi

nisi quinque adhibeantur testes, præsumtio quidem est, plures haberi non potuisse, quoniam pauci sæpe in pagis commorantur homines ad id negotii apti, & contingit aliquos eorum ad exercendos agros abesse. Probetamen Notarius faciet, si adjiciat, se in conquirendis testibus fuisse diligenter, plures tamen reperire non potuisse. [t]

*stici, in  
quo quin-  
que tan-  
tum testes  
sunt adhi-  
ti, Nota-  
rius de  
diligentia  
sua in plu-  
ribus con-  
quirendis  
moneat.*

### §. XXXVII.

Etsi testamentum sine recognitio-  
ne validum esse asseratur, nihilomi-  
nus commodum est, si Notarius post  
subscriptionem adhuc semel testibus  
proponat testamentum, recognitio-  
nem manus ab ipsis petat, & deinde in  
Instrumento de facta recognitione te-  
stetur. (u)

AD-

(t) MICHALORIVS de cœc. surd. & mutis c. 12. n. 6.

(u) STRYCK. de cautel. testam. c. 4. §. 5.

ADJVNCTA.

1. Eges Codicis Pandectis non derogant.
2. Princeps nullis Legibus, quam naturalibus obstringitur.
3. Princeps nec Privilegia ex mera gratia concessa pro libitu revocare potest.
4. Filius in legitima creditor est.
5. Permutatio cum pecunia numerata stare potest.
6. Usuræ lucrativæ non sunt contra naturam.
7. Testamentum est de jure naturæ.
8. Testamentum etiam per procuratorem insinuari potest.
9. Pupillariter substitutus excludit matrem à legitima.
10. Conductor ejecitus actionem spolii instituere nequit.
11. Non omne illud, quod antecedunt preces, est precarium.
12. Hodie, licet contra jus in Thesi sententia sit lata, nullitatis querela intra decendum est interponenda.



14

Vm memoras primum, quanam *brevitate*  
*notarum*  
Condita iam pridem sint monumenta  
viris;  
Praetereaque doces, faciant quae cognita *cavum*,  
Si qua tui praesens temporis acta notes:  
Ingenii *testes geminos* statuisse videris,  
Tertius accessit *præses* & ipse tuus.  
Macte bonis ausis! Signant tua *praemia testes*,  
Et tua ter felix exitus acta probat.

*Diligentissimo FRANCKENFELDIO*  
*uberes studiorum fructus precatus,*  
*scribebat*

CORNEL. DIETER. KOCH, D. P.  
h. t. pro-rector.

---

PUblica verba notas: describis facta, docesque  
Cautelas. Quantus tempore, quæso, brevi!  
Oceanum exhaustis divinæ legis, & audes  
Claro GÖBELIO præside jura loqui.  
Jura loco sancto loqueris, dum posita claris  
Explanans verbis, pectora mente trahis.  
Applaudit præses: qui tentavere, moventur  
Responfis: capiunt gaudia corda pia.  
His incumbe bonis studiis. Te *præmia lætum*  
Reddent. Tu reddes dulcia vota Deo.

E

Quod

Quod Tibi cordicitus præcepto, mente serena  
Percipe. Concelebra nomina sancta Dei.

Qua

Clare docto domino respondentib[us] bono  
ex animo script[ur]a

F R I D E R I C V S Weise / D.  
Sup. Gen. Prof. Publ. Ord. & Paſt.  
St. Steph.

C Armina victores poſcunt: tibi carmina latus  
Dico, qui dupl[icem] gemino certamine palnam  
Es meritus, binos & agis cum laude triumphos.

Ornatissimo FRANCKENFELDIO iterum  
publice disputanti hoc benevolentia sua  
& amoris monumentum posuit

A V G U S T I N V S L E Y S E R V S, J. C.  
& in Magnæ Britanniæ regis ac Brunsvicen-  
tium ducis aulis consiliarius.

C ontendis! Nec enim membris dat cura quietem.  
Ipſe ſedens, calamumque regens, jurique mini-  
ſtrans,  
Conſcribes, quod jura ſinent, dictamine recto.  
Fac, ſedeas, clavumque juves, velisque ministres.  
Fontes qui juris calles, tu jure placebis.

Nobilissimo FRANCKENFELDIO ex do-  
ctrina, ingenio, & ſolertia fauſta in foro  
auguratus fata

H E R M A N N V S von der Hardt /  
Acad. Sen. & Præp. Mar.

bono

#4

**M**onsieur, Vous Vous montrez grand & scavant  
*notaire,*

En nous ayant donné *Vos droits* prudemment,  
Que Vous prenez plaisir d'écrire doctement,  
Afinque tous ces genis, qui n' ont apris, que faire,  
Aprennent l'artifice d'un notaire achevé.  
Il faut par devoir, que je Vous felicite;  
Mais j' ai grand' peur, que Vous ne soyez fort géné,  
Lorsqu' on verra chex Vous des parties tout de suite.

*Pour se recommander à l'affection & à la  
bonne souvenance de Mons. le Repon-  
dant à voulu mettre ce peu de vers*

**RVDOLPHE HENRY VESTY**, Hildesien  
Opposant.

---

**D**um Cultor Themidos, Notariusque  
*Cautelas Publicus Notariorum*  
Expendis, publica merere laude  
Ut cautus TABVLARIUS notari.  
*Ita Prænobilissimo Domino Disputanti applaudit*  
**L. A. NOLTENIUS.**  
Opponens.

---

**I**ngeniis diversa placent. Hic membra labore,  
Ingenium studiis instruit ille bonis.  
Hic serit, ille merit. Rigidi grave pondus aratri  
Hunc lassat, Clarias suspicit ille Deas.  
Tu Musas Phœbumque colis, Themidique laborem,  
Et studiis donas tempus, Amice, bonis  
Et Tibi solertis nunc dantur præmia mentis,  
Inque Tuis ludit laurea digna comis.  
Pergite Palladii juvenes. Patet area laudum,  
Certaque solertis palma laboris erit.

*His Amico suo dulcissimo integro &  
causo animo gratulari voluit*

**C. G. LUTEMANN LL. Cult.**

**S**Edulus ad Themidos arcana sacraria tendens  
Astrææ geminâ jam vice pandis opes.  
Egregium specimen, brumâ dominante, daturus  
Arduus in cathedra conspiciendus eras:  
En! sedes iterum Phœbeas scandis, & acris  
Ingenii profers lucida signa Tui.  
Gratulor ergo Tuos, Autor Peramande, labores,  
Judicii vires, ingeniique decus.  
*Nobilissimo doctissimoque Domino Re-*  
*spondenti gratulatus*  
*script*  
**C. T. SEELHORST, LL. Stud.**  
**Opponens.**

**A** Scensu CAVTVS nunc ecce! NOTARIUS alter,  
FRANCKENFELD, TECUM pulpita docta  
petit.  
Primus erat felix, tua quem facundia nuper  
Defendit plausus inter & elogia.  
Plausus & elogium doctorum ex ore sequetur,  
Auguror, hunc etiam. Gratulor ergo TIBI.  
Gratulor, & pia vota simul de pectoris antro  
Jungo: det meritis præmia JOVA Tuis.  
*Sic Nobilissimo Domino Respondenti*  
*adplaudit*  
**L. D. ZERSSENN,**  
Stadthaga-Schaumburgicus LL. Cult.  
Opponens.



**ULB Halle**  
003 140 865


3



TA-FL







B.I.G.

Black

DISSE~~NT~~<sup>TT</sup>ATI~~O~~<sup>O</sup> ACADEMICA  
DE  
**CAVTELIS**  
**NOTARIORVM**  
*QVAM*  
PRAESIDE  
**JO. WILHELMO GÖBEL**  
J. V. D. EJVSDEMQVE IN ACADEMIA  
REGIO DVCALI JVLIA P. P. O.  
*FAVTORE*  
*AC PRAECEPTORE SVO*  
AETERNV M COLENDO  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
AD D. XVII. JVN. MDCCXXIV.  
EXPONET  
AVCTOR  
**LVDOVICVS JVLIVS VRBANVS**  
*Brandenfeldt / Wolffsenb.*

*Helmstadt,*  
Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.